

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0485

0483

0489

0479

0494

0474

0534

0434

0584

0384

0984

471

illud exquirere, qui dicunt, se sonum campanarum quidem audivisse, sed monasterium ipsum minime invenisse. Et credunt, ipsum monasterium ex gratia Dei occultari propter peccata Arabum, ne eorum insolentis graventur sicut alia deserti monasteria: sicut domus Loth fuit Sodomitis occultata, Genes. XIX., et civitas Dothaim Syris, ne Helisaeum caperent prophetam, (50a) quem capere venerunt, ut habetur 4. Reg. VI. pulchra historia. Veruntamen Arabes quidam sunt cum fratribus, qui dicunt sub juramento, se fuisse in monasterio, sed mox, ut exierunt, viam et monasterium perdidisse. Quandoque disparent aliqui fratres S. Catharinae, nec scitur, ubi pervenerunt, quos credunt rapti ad hoc monasterium ad supplendum vices eorum, qui pro tempore moriuntur, cum eis. Nec videatur hoc puerile vel phantasticum, cum etiam in Vitis patrum similia legamus etiam de hoc, de quo nunc est locutio, deserto; in quo fertur habitasse quidam sanctus, quem nemo invenire potuit; hunc abbas Postumius visitator patrum et sanctorum in desertis commorantium diu quaesivit nec invenire cum potuit, nam quotiens cum viri religiosi adire voluerunt, cursu avia petens locum ignotum quendam adiit, congressus vitabat humanos, veruntamen ferebatur se praebuisse, qui, credo, potenti id fide obtinere meruit. Cui inter colloquia percunctanti, cur tanto homines opere vitaret, respondit: si homines me frequentarent, angeli a me fugerent, quorum frequentatione utor. Simile legitur de S. Hilarione, quem latrones deserti ipsum scientes saepe quaesiverunt, sed cellam senis invenire nullatenus poterant. Hoc in Spec. Histor. L. 17. cap. 19. et L. 19. c. 17. et est originale Jeronymus de vita beati Hilarionis, c. 9.

Deinde convertimus nos ad aquilonem, ubi jungitur orienti, et contra regionem Arabiae visum coniecimus, quae latissimas solitudines continet et in pluribus suis partibus ferax est diversorum pretiosorum aromatum; ob quam causam dicitur Arabia felix et protenditur inter utrumque sinum persicum et arabicum et propter singularem suae glebae bonitatem felix dicitur. Nam in quibusdam locis effossa terra aliquae reperiuntur suave olentes glebae. Effoditur in ea regione aurum, quod non igne decoquitur, ut alibi fieri consuevit, sed e

Ende

Anfang